



## **Opvs Theologicvm**

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita  
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum  
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum  
Indicem sequens pagina dabit

**Mauro, Silvestro**

**Romae, 1687**

Q. 45. Vtrum Deus cognoscat conditionata contingentia creaturis libera  
per scientiam visionis in decreto, vel per scientiam mediam independenter  
ab omni decreto absolutè existenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

tia, vel non existentia obiecti; sed Deus hanc negationem neque habet, neque potest habere; ergo &c. Addo argumentum non impugnare specialiter scientiam conditionatam, sed impugnare vniuersaliter omnem scientiam præscindentem ab existentia, vel non existentia obiecti, & tamen certum est apud omnes Deum per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere possibilia, præscindendo ab affirmatione eorum existentia, & hanc cognitionem præscisiam esse necessariam ad hoc, vt Deus per illam dirigatur ad liberam electionem obiectorum. Nemo enim potest dirigi ad liberam electionem per cognitionem, qua videt determinatè dari vnā partem contradictionis.

24. Ad 4. Si noster intellectus per cognitiones conditionatas concipit conditionem, & obiectum conditionatum ad modum existentium, adeoque fingit, id accidit propter nostram imperfectionem; sed intellectus diuinus est perfectissimus; ergo sicut cognoscit possibilia non ad modum existentium, sic cognoscit conditiones, & obiecta conditionata non ad modum existentium, adeoque sine vlla fictione.

25. Ad 5. distinguo maiorem: est absurdum, vt intellectus habeat simul cognitionem conditionatam, & absolutam, ita vt cognitio conditionata ordine saltem virtuali naturæ præcedat electionem, cognitio absoluta sequatur electionem, nego maiorem: alio pacto, transeat; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Cum quis peccat, habet cognitionem conditionatam, qua cognoscit, quod si fecerit talem actionem, male faciet, & peccabit, & simul habet cognitionem absolutam, quod facit talem actionem, ac male facit, & peccat, neque hoc est absurdum, quia cognitio conditionata præcedit electionem, cognitio absoluta sequitur electionem; ergo vt Deus operetur ex perfecta prouidentia, ante electionem debet habere cognitionem conditionatam, post electionem debet habere cognitionem absolutam, vt ostensum est.

25. Ad 6. Quod sit determinatiuum intellectus diuini ad certo cognoscenda conditionata contingentia, explicandum est quæstione sequenti.

27. Potest quæri, vtrum Deus sciat etiam, quid ipsemet esset facturum cum hac, vel illa scientia media; quid faceret sub conditionibus disparatis, vel impossibilibus; & per quam scientiam hæc cognoscat. Sed hæc explicanda sunt quæstione 46. per totam, & num. 21. & sequentibus.

## QVÆSTIO XLV.

*Virum Deus cognoscat conditionata contingentia creaturis libera per scientiam visionis in decreto, vel per scientiam mediam independentem ab omni decreto absolute existenti?*

1. **V**idetur primum, non secundum: primo quia diuisio scientiæ diuinæ in scientiam simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscat veritates necessarias, & in scientiam visionis, qua cognoscat veritates contingentes in decretis liberis absolute existentibus, est adæquata, & per membra contradictoria, & vt talis traditur à Magistro sententiarum, à S. Thoma, & ab omnibus antiquis Scholasticis; sed si Deus cognosceret contingentia conditionata independentem à decretis absolute existentibus, illa diuisio non esset adæquata, sed daretur in Deo tertia scientia media; ergo &c.

2. Secundò auctoritates, & rationes quæstione superiore allatæ ad probandum Deum cognoscere contingentia conditionata, non probant Deum illa cognoscere independentem à decretis; ergo non probant scientiam mediam. Probat antecedens, primo de auctoritatibus. Testimonia enim Scripturarum probant quidem Deum ab æterno præscuisse, quod Tyrus poenitentiam egissent, si vidissent miracula Christi &c. sed non probant, quod Deus id præsciuisset independentem à decreto prædeterminante Tyrios ad poenitentiam, si vidissent talia miracula; si autem negatur tale decretum prædeterminatiuum, nihilominus Deus potuit præscire, quid Tyrus essent facturi per scientiam visionis, per quam videbat actus liberos, quos Tyrus absolute exercebant, audita fama miraculorum Christi: & similiter potuit videre, quod Ceilitæ essent tradituri David in manus Saul, per scientiam visionis, per quam videbat actus, quos Ceilitæ de facto exercebant circa David. In actibus enim, quos liberum arbitrium absolute exercet in aliquibus circumstantiis, potest Deus videre, quos actus exerceret in omnibus alijs circumstantiis. Probat etiam, quod neque rationes probent scientiam mediam. Rationes enim desumuntur ex eo, quod ad perfectionem diuinæ sapientiæ, ac prouidentie spectat, vt Deus certo sciat contingentia conditionata; sed vt Deus sit perfectissimè sapiens, ac prouidens, non requiritur, vt illa cognoscat independentem à decreto, sed sufficit, vt cognoscat in decreto: e. g. Deus potuit perfecte prouidere saluti David, siue sciuerit Ceilitas tradituros David in actibus absolutis, quos de facto exercebant Ceilitæ, siue sciuerit independentem à talibus actibus; ergo &c.

3. Quarto est impossibile, vt potentia indif-

differeus ad plures actus, ac non potens se ipsam determinare, habeat potius unum, quam alterum ex talibus actibus, nisi determinetur ab aliquo alio; sed intellectus diuinus est indifferens ad cognoscendum, vel quod si Tyrij vidissent miracula Christi, fuissent conuersi, vel quod non fuissent conuersi, & non potest se ipsum determinare, cum non sit liber; sola verò potentia libera, licet sit indifferens in actu primo, habet virtutem determinandi se ipsam in actu secundo; ergo est impossibile, ut intellectus diuinus determinatè cognoscat, quod Tyrij conuerterentur, nisi ad hoc cognoscendum determinetur ab aliquo alio; sed si hæc cognoscit in decreto per scientiam visionis, iam apparet, quod determinatur à potentia libera per ipsum decretum liberum: si vero hæc cognoscit ante omnia, decreta libera, non est unde determinetur; ergo.

4. Quintò Deus debet cognoscere contingentia conditionata, prout essent, si ponerentur; sed si ponerentur, essent dependentes ab aliquo diuino decreto intentionis, vel permisso; ergo.

5. Respondeo, quod in hac quæstione Auctores abierunt in varias sententias proportionales ijs, quas retulimus quæst. 43. agentes de cognitione contingentium absolute futurorum.

6. Prima igitur sententia prædeterminatium docet Deum cognoscere conditionata, contingentia per scientiam visionis in suis decretis absolute existentibus, per quæ conditionatè vult, ut si liberum arbitrium constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo, physicè prædeterminaretur ad faciendos certos actus: e. g. Deus ab æterno decreuit, ut si Tyrij viderent miracula Christi, prædeterminarentur physicè ad agendam poenitentiam; sed posito hoc decreto, impossibile est, ut si Tyrij viderent miracula Christi, non prædeterminarentur, ac non agerent poenitentiam; ergo Deus per scientiam visionis, qua videt hoc suum decretum, certo cognoscit, quod si Tyrij vidissent miracula Christi, poenitentiam egissent; sed Deus habet decreta, per quæ vult, ut si liberum arbitrium constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo, prædeterminaretur ad faciendos certos actus; ergo per scientiam visionis, qua videt sua decreta, certo cognoscit, quid facturum esset liberum arbitrium, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo.

7. Affinis est secunda sententia quorundam Scotistarum, qui docent Deum hæc videre in suis decretis conditionatis, quibus vult, ut si liberum arbitrium constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo, determinaretur ad certos actus, non quidem per physicam prædeterminationem libero arbitrio intrinsecam, sed per decretum extrinsecum diuinum omnino antecedens, & inimpedibile.

8. Vtraque sententia rejici posset, supponendo, ac probando ex tractatu de Gratia efficaci, quod si liberum arbitrium positum in hoc, vel illo actu primo proximo, determinaretur ad agendum per physicam prædeterminationem, vel per decretum Dei extrinsecum omnino antecedens, & inimpedibile ab ipso libero arbitrio, eo ipso ageret non liberè; ergo Deus per scientiam visionis in decreto conditionato prædeterminandi liberum arbitrium ad vnā partem contradictionis, posset quidem videre, quid liberum arbitrium esset facturum non liberè, sed non posset videre, quid esset facturum liberè, adeoque non soluitur quæstio, in qua quæritur, per quam scientiam Deus videat, quid liberum arbitrium facturum esset liberè, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo. Sed quia per Pontificias constitutiones non licet disputare de hac controuersia circa Gratiam efficacem, his omisissis, pergitur ad explicanda reliqua de scientia media.

9. Tertia sententia docet ad perfectionem diuinæ Sapientiæ, & Prouidentię sufficere, ut Deus videat in actibus, quos liberum arbitrium de facto exercet, quid esset facturum, si poneretur in alijs circumstantijs: adeoque non esse necessariam scientiam mediam, per quam conditionata contingentia certo cognoscat independentes ab omnibus actibus diuinis, vel nostris absolute existentibus.

10. Dicendum cum quarta sententia, quam cum Molina docent omnes auctores Societatis, ac plures alij: ad perfectionem diuinæ Sapientiæ, & Prouidentię non sufficit scientia visionis, per quam Deus in suis, vel nostris actibus liberis absolute existentibus videat, quid liberum arbitrium creatum facturum esset, si poneretur in alijs circumstantijs, sed requiritur, ut id cognoscat per scientiam mediam independentem ab omni suo, vel nostro actu libero absolute existente.

11. Probatur: nam ad perfectionem diuinæ Sapientiæ spectat, ut Deus non solum sciat, quid in alijs circumstantijs essent liberè facturæ creaturæ intellectuales, quæ de facto existunt, atque exercebunt aliquem actum liberum, sed etiam ut sciat, quid essent liberè facturæ creaturæ intellectuales, quæ nunquam existunt, vel pro statu viæ nullum exercebunt actum liberum; sed quid essent facturæ creaturæ, quæ nunquam existunt, non potest Deus videre in illo earum actu libero absolute existente; siquidem nullus earum actus liber absolute existit; ergo ad perfectionem diuinæ Sapientiæ spectat, ut id videat per scientiam mediam independentem ab omni libero earum actu absolute existente. Probatur maior: ad perfectionem enim diuinæ Sapientiæ spectat, ut Deus ad nullam quæstionem debeat respondere *nescio*, vel *dubito*; sed si Deus nesciret, quid creaturæ intellectuales, quæ de facto non existunt, facturæ essent liberè, si existerent, & constituerentur in hoc, vel illo actu primo

Proximo, ad quæstiones, quibus hæc quærun-  
tur, deberet respondere *nescio*, vel *dubito*; ergo  
&c.

12. Confirmatur, quia alioquin si Deus ni-  
hil creasset, cum nullus actus liber creaturæ  
absolutè existeret, Deus nesciret, quid creaturæ  
essent liberè facturæ, si crearentur, & constitue-  
rentur in hoc, vel illo actu primo proximo.

13. Rursus ad perfectionem diuinæ prou-  
identia spectat, ut Deus ad electionem, qua  
liberè decernit creare, vel non creare has, vel  
illas creaturas intellectuales, easque constitue-  
re in hoc, vel illo actu primo proximo, diri-  
gatur à scientia, per quam cognoscat condi-  
tionatè, quid essent liberè facturæ, si crearen-  
tur, & ponerentur in hoc, vel illo actu primo  
proximo; sed scientia, per quam Deus dirig-  
tur ad liberam electionem creandi, vel non  
creandi &c. non potest supponere creaturam  
ut creatam, & iam existentem, & ut absolu-  
tè exercentem aliquem actum liberum; ergo  
ad perfectionem diuinæ prouidentia spectat,  
ut Deus, quid creaturæ intellectuales facer-  
ent, si ponerentur in his, vel illis circumstan-  
tijs, cognoscat per scientiam non supponen-  
tem ullum actum absolutè existentem, quam  
scientiam vocamus mediam.

14. Confirmatur, quia Deus debet ordi-  
nare ex perfecta prouidentia illum ipsum pri-  
mum actum liberum, in quo ut absolutè exi-  
stente per aduersarios cognoscit alios actus li-  
beros conditionatos; e. g. si supponamus De-  
um vidisse in actibus absolutis, quos Tyrj  
exercuerunt, audita fama miraculorum Chri-  
sti, quod egissent poenitentiam, si vidissent  
miracula Christi, nihilominus Deus illos ac-  
tus liberos, quos Tyrj absolutè exercuerunt,  
deberet ordinare ex perfecta prouidentia; er-  
go ad ponendos Tyrjos in eo actu primo pro-  
ximo, in quo tales actus exercuerunt, debuit  
dirigi ex cognitione, qua videbat, quid essent  
facturi, si ponerentur in tali actu primo. Vel  
ergo hoc vidit in aliquibus alijs actibus liberis,  
ac de ijs redit difficultas, & proceditur in infi-  
nitum; vel vidit independentè ab omnibus  
actibus liberis absolutè existentibus, & vidit  
non per scientiam visionis, sed per scientiam  
mediam; ergo ad perfectionem diuinæ prou-  
identia ordinantis etiam primos actus liberos  
necessaria est scientia media.

15. Ad 1. Antiqui Scholastici, cum  
Magistro, & S. Thoma diuiserunt scientiam  
diuinam in scientiam veritatum necessaria-  
rum, quam appellarunt simplicis intelli-  
gentia, & in scientiam veritatum non ne-  
cessariorum, quam appellarunt scientiam  
visionis; & hæc diuisio est adæquata, &  
per membra contradictoria, ideoque scien-  
tia media, cum sit scientia veritatum condi-  
tionatarum non necessariorum, reducitur  
ad scientiam visionis latè sumptam, prout  
sumitur ab antiquis. Scientia visionis latè  
sumpta potest subdividi in scientiam visionis  
strictè sumptam, per quam Deus cognoscit

veritates non necessarias dependentè ab aliquo  
decreto, vel actu libero absolutè existente, & in  
scientiam, quam vocamus mediam, qua co-  
gnoscat veritates conditionatas non necessari-  
as independentè ab omni actu libero absolu-  
tè existente. Vtrique scientia datur, & re ip-  
sa admittitur ab antiquis, ut probatum est,  
ideoque nostra sententia non repugnat do-  
ctrinæ antiquorum, sed illam magis expli-  
cat.

16. Dices: obiecta vel absolutè existunt,  
vel absolutè non existunt, nec datur medium;  
ergo scientia Dei vel cognoscit obiecta ab-  
solutè existere, vel absolutè non existere, nec  
datur medium; ergo non datur scientia me-  
dia, quæ neque cognoscat obiecta absolutè exi-  
stere, neque absolutè non existere.

17. Respondeo hoc argumentum impu-  
gnare etiam scientiam simplicis intelligentia,  
per quam Deus cognoscit possibilia, abstra-  
hendo ab hoc, quod existant, vel non existant.  
Respondeo secundò directè, concedo antecede-  
ns, & nego consequentiam. Licet enim,  
inter hæc duo *Obiectum contingens existit*, *obie-*  
*ctum contingens non existit*, cum sint affirmatio,  
& negatio contradictoria, non detur medium,  
tamen inter hæc duo, *Cognitio cognoscit de obie-*  
*cto, quod absolutè existit*; *cognitio cognoscit de obie-*  
*cto, quod absolutè non existit*, cum utrumque sit  
affirmatio cognitionis, datur medium, quod  
est cognitio cognoscens obiectum conditiona-  
tè existere, & abstrahens ab hoc, quod abso-  
lutè existat, vel non existat. Hinc patet, quo  
pacto sit verum, quod diuisio scientia fundari  
debeat in diuisione obiectorum. Dico,  
quod debet fundari in diuisione obiectorum ut  
scibilem, non autem in diuisione obiecto-  
rum naturaliter sumptorum; & quia de obie-  
ctis non solum potest sciri, quod sint possibi-  
lia, vel quod absolutè existant, aut non exi-  
stant, sed etiam quod positis quibusdam con-  
ditionibus, existerent, vel non existerent, ideo  
in obiectis ut scibilibus fundari potest scientia  
media.

18. Ad secundum: testimonia Scriptura-  
rum probant Deum cognoscere poenitentiam  
conditionatam Tyrjorum, & non in decreto  
prædeterminatio. Christus enim obiurgat  
duritiem cordis Iudæorum, eo quod acceptis  
tot auxilijs, non agerent poenitentiam, cum  
Tyrj si accepissent talia auxilia, poenitentiam  
egissent; sed si cognouisset poenitentiam Ty-  
riorum in decreto prædeterminatio, vana  
esset hæc obiurgatio, siquidem Iudæi potuis-  
sent respondere, quod Tyrj poenitentiam e-  
gissent, quia accepissent prædeterminationem,  
quam nos non accepimus, & quam si accipe-  
remus, etiam nos poenitentiam ageremus; er-  
go &c. Licet autem fortasse ex hoc testimo-  
nio, si in Tyro &c. non satis probetur Deum co-  
gnouisse poenitentiam Tyrjorum independen-  
tè ab aliquo eorum actu absolutè existente,  
tamen per alia testimonia Scripturarum, &  
Patrum probatur scientia media, & præsertim  
per

per illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, quod à Sanctis Patribus applicatur etiam infantibus, quos Deus rapit, prævideus peccata, quæ facerent, nisi raperentur, cum non possit Deus talia peccata prævidere in vilo a. tu libero absolute existente talium infantium. Quo ad rationes satis dictum est in resolutione quæstionis.

19. Ad 3. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, quod intellectus diuinus per modum puræ conditionis determinatur ad cognoscendum contingentia conditionata per hoc, quod illa essent, si poneretur conditio. Explicatur. Deus per suam infinitam virtutem cognoscitivam determinatur ad cognoscendum, quod sunt omnia, quæ sunt, quod non sunt omnia, quæ non sunt, & quod possitis quibusdam conditionibus, essent omnia, quæ essent, ideoque ut cognoscat, quod essent, sufficit, quod essent, & non requiritur aliud determinativum.

20. Dices præterea: quod nihil est non potest determinare Deum; sed obiectum conditionatum nihil est; ergo &c.

21. Respondeo, distinguo maiorem: quod nihil est, sed esset, non potest determinare Deum ad cognoscendum, quod est, concedo maiorem; non potest ut pura conditio determinare Deum ad cognoscendum, quod esset, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Infinita virtus cognoscitiva Dei ad cognoscendum, quod obiectum purè esset, sufficienter determinatur per hoc, quod esset, etiam si non sit, adeoque absolute nihil sit.

22. Vregebis: *ly esset non est*; sed quod non est, non potest determinare intellectum diuinum, eo pacto, quo non potest determinare intellectum creatum; ergo &c.

23. Respondeo eodem pacto, distinguo minorem: quod non est, non potest determinare intellectum diuinum ad dicendum, quod est, concedo; ad dicendum, quod purè esset, nego. Quod non est, sed esset, non potest determinare intellectum creatum, sed potest determinare intellectum diuinum. Ratio est, quia obiectum determinans intellectum creatum se habet per modum virtutis, quæ debet esse; at obiectum extrinsecum determinans intellectum diuinum est pura conditio, ita ut tota virtus sit infinitum lumen cognoscitivum Dei.

24. Dices secundò: non potest Deus actu cognoscere, quod actu non est cognoscibile, sed solum esset cognoscibile, si poneretur, sed obiectum, quod actu non est pro vilo tempore, sed esset, non est actu cognoscibile, sed solum esset cognoscibile, si poneretur; ergo &c. Probatur minor: nam cognoscibilitas est ipsa entitas rei; sed entitas non est, sed esset; ergo cognoscibilitas non est, sed esset.

25. Respondeo, distinguo maiorem: non potest Deus cognoscere, quod actu non est cognoscibile cognoscibilitate obiectiva physici

cè existente, nego; cognoscibilitate obiectiva logicè existente, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ut Deus cognoscat, quod obiectum esset, non requiritur, quod obiectum habeat actu aliam cognoscibilitatem, quam consistentem in hoc, quod esset; sed *ly esset*, non importat aliquid physicè, sed solum logi. è existens in ratione significati per hanc enunciationem, quæ dicitur, quod esset; ergo &c. Confirmatur: nam sicut domus constituitur nunc antiqua per durationem præteritam, quæ nunc non existit physicè, sed logicè, sic obiectum constituitur nunc cognoscibile per entitatem existentem non physicè, sed logicè.

26. Instabis: ut Deus determinetur ad cognoscendum, adequatum determinativum debet actu esse; sed determinativum per modum conditionis actu non est; ergo &c.

27. Respondeo, distinguo maiorem: determinativum adequatum debet actu esse physicè secundum omnia, quæ includit, nego; debet partim esse physicè, partim logicè, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Sicut ut domus sit actu antiqua, determinativum formale sufficit, ut partim sit physicè, partim logicè; siquidem duratio præterita est solum logicè, sic in casu nostro.

28. Instabis rursus: ergo Deus posset determinari ad cognoscendum ab æterno futura contingentia absoluta, etiam si non essent physicè in nunc æternitatis.

29. Respondeo, concedo consequentiam; sicut illam concessi quæst. 43. num. 44. & 45.

30. Dices tertio: Deus est indifferens ad habendam scientiam mediam, qua cognosceret, quod Petrus converteretur, vel ad habendam oppositam scientiam, quod non converteretur, & non se liberè determinat potius ad hanc, quam ad illam; ergo casu accedit, ut habeat potius hanc, quam illam.

31. Respondeo, distinguo antecedens: Deus est indifferens ex suppositione, quod Petrus converteretur, nego; non facta suppositione, concedo; & nego consequentiam. Intellectus diuinus ex sua perfectione, & ex suo infinito lumine est determinatus ad cognoscendum, quod sunt omnia, quæ sunt, & quod essent omnia, quæ essent; ergo sicut ex suppositione, quod Petrus actu converteretur, non accedit casu, ut Deus cognoscat Petrum actu converti, sic ex suppositione, quod converteretur, non accedit casu, ut cognoscat, quod converteretur. Neque enim accedit casu id, ad quod intellectus diuinus ex sua infinita virtute est omnino determinatus.

32. Vregebis: saltem casu accedit respectu Dei, quod Petrus potius converteretur, quam non converteretur.

33. Respondeo, negando consequentiam. Non casu accidunt, quæ fierent Deo volente, vel permittente; sed Petrus converteretur, Deo tunc id volente, peccaret, Deo permittente; ergo &c.

34. Vt:

34. Urgebis rursus: nunc est verum, quod Petrus tunc, quando poneretur conditio, conuerteretur; sed hoc est verum ita, vt Deus neque liberè velit, neque liberè permittat hanc veritatem; ergo hæc veritas datur purè casualiter respectu Dei.

35. Respondeo, distingo maiorem: nunc est verum, quod Petrus conuerteretur, & hoc non significat aliud, quam illam conuersionem, quæ non est, sed esset, concedo; & hoc significat aliud, nego; & distingo minorem: hoc est ita verum, vt Deus neque absolutè velit, neque absolutè permittat hanc veritatem, concedo; vt Deus neque vellet, neque permitteret illam veritatem, posita conditione, nego; & nego consequentiam. Nunc esse verum, quod Petrus conuerteretur, nihil aliud est, quam quod Petrus conuerteretur; sed quod Petrus conuerteretur, esset à Deo volitum, vel permissum, adeoque non esset casuale; ergo hæc veritas non est Deo casualis.

36. Superesset, vt explicaretur, quo pacto scientia media sit libera creaturis, non autem Deo. Sed hæc, & alia explicanda sunt in questione de concordia libertatis cum diuina scientia, & prædestinatione.

37. Ad 4. concedo maiorem, & distingo minorem: conditionata contingentia, si poneretur, essent dependenter ab aliquo decreto, quod nunc existat absolutè, nego minorem; quod tunc existeret absolutè, concedo minorem; & nego consequentiam. Pœnitentia Tyrionum e. g. si esset, non esset dependenter ab aliquo decreto, quod nunc absolutè existat, sed dependenter ab aliquo decreto, quod tunc absolutè existeret; ergo Deus non debet illam cognoscere in aliquo decreto, quod nunc absolutè existat, sed solum debet cognoscere, quod pœnitentia Tyrionum esset dependenter ab aliquo decreto, quod tunc absolutè existeret; hoc autem Deus cognoscit per scientiam mediam, per quam videt, quod si Tyrii vidissent miracula Christi, & præuenti fuissent tali auxilio interno, & decreto, per quod Deus obtulisset illis suum concursu, liberè pœnitentiam egissent, Deo efficaciter præueniente pœnitentiam ipsorum per decretum regulatum à scientia media, adeoque ab ipsis impeditibile, vt dicitur inferius, cum agatur de concordia libertatis cum diuina prædestinatione. Hic solum debet aduerti, quod cum explicatur obiectum scientiæ mediæ, ex parte conditionis debent poni illa omnia, & sola, quæ constituunt actum primum proximum indifferentem, ex parte conditionati poni debet actus secundus liber, & omnia, quæ sunt essentialiter connexa cum tali actu secundo; & quia actus primus proximus, atque indifferens non constituitur per decretum efficaciter prædefinitiuum, neque per scientiam mediam; ideo decretum prædefinitiuum, scientia media, & omnia alia essentialiter connexa cum actu secundo, non debent poni ex parte conditionis, sed ex parte conditionati.

Exempli gratia Deus videt per scientiam mediam, quod si Tyrii vidissent miracula Christi, & præuenti fuissent talibus auxiliis internis &c. pœnitentiam egissent, ipso Deo prædefiniendo efficaciter pœnitentiam per decretum regulatum à tali scientia media, adeoque impeditibile ab ipsis Tyriis.

## QVÆSTIO XLVI.

*Virum Deus per scientiam mediam, & independenter ab omni suo actu libero absolutè existente, sciat, quid liberum arbitrium diuinum esset facturum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo?*

1. **V**idetur scire per scientiam mediam, primo quia Deus per scientiam mediam scit, quid liberum arbitrium creatum esset liberè facturum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo; ergo per scientiam mediam potest etiam scire, quid liberum arbitrium diuinum esset liberè facturum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo.

2. Secundò quidquid esset liberè facturum liberum arbitrium creatum, si poneretur in hoc, vel illo actu primo proximo, esset etiam liberè facturum liberum arbitrium diuinum: e. g. si Petrus cum hac vocatione liberè conuerteretur, Deus liberè Petrum cum eadem vocatione conuerteret: si Iudas cum hac vocatione liberè traderet Christum, Deus liberè permitteret, vt Iudas cum hac vocatione liberè traderet Christum; sed Deus per scientiam mediam scit, quid liberè esset facturum liberum arbitrium creatum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo: e. g. scit, quod Petrus si acciperet hanc vocationem, liberè conuerteretur, & quod Iudas si acciperet hanc vocationem, liberè traderet Christum; ergo Deus per scientiam mediam scit etiam, quid sub eadem hypothese esset liberè facturum liberum arbitrium diuinum: e. g. scit, quod si vocaret Petrum hac vocatione, liberè eum conuerteret: scit, quod si vocaret Iudam hac vocatione, liberè permetteret, vt Iudas traderet Christum.

3. Tertiò in eo signo, in quo Deus cognoscit, quid esset facturum liberum arbitrium creatum, si constitueretur in hoc, vel in illo actu primo proximo, potest, ac debet etiam cognoscere, quid esset facturum liberum arbitrium diuinum, si per varias scientias medias poneretur in hoc, vel illo actu primo proximo; sed Deus cognoscit, quid esset facturum liberum arbitrium creatum in signo priori, & antecedenti ad omnia sua decreta; ergo debet etiam cognoscere, quid esset facturum liberum arbitrium diuinum, in signo priori, & indepen-